

monitum S. JUDÆ v. 23: *Odientes et eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam*; et tamen Deus nihil odit nisi peccatum. *Diligis*, verba sunt Deum alloquentis Sap. 1., *omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum, quæ fecisti*. 3<sup>o</sup>. Christus assimilatus est nobis, et per omnia tentari voluit, sed absque peccato, ut docet ep. ad Hebr. c. 4., et hinc communes vitæ miseras omnes assumpsit: sed concupiscentiam non assumpsit, nec carnis tentationem pati voluit; ergo.

R. D. A. Concupiscentiæ secundum entitatem spectatæ conveniunt etc. N. secundum deformitatem sumptæ *subd.* conveniunt prædicata propria peccati proprie dicti N. prædicata communia C. Concupiscentia, item motus concupiscentiæ carnis involuntarius secundum se sumptus, sive dicatur esse in solo appetitu sensitivo, sive etiam sit prima animæ motio orta ab appetitu sensitivi motu, pure tendit in objectum sensibile ut bonum et in suo genere homini conveniens; hinc spectata præcise entitate, tantum remote et per accidens malus dicitur: ubi vero potentia inclinatur et actus fertur in objectum sensibile intra talem speciem et circumstantias, in quibus est prohibitum; illa *causaliter*, hic *objective* malus dicitur, et sic secundum deformitatem spectatur: neutri tamen convenit denominatio *formaliter* mali, quia ejusmodi actio non est ex electione libera, sed indeliberata et cum passione.

Ad Prob. 1<sup>am</sup>. D. Deus non fecit concupiscentiam quoad entitatem N. quoad deformitatem *subd.* positive, hoc sensu, quod non fuerit auctor peccati, cujus concupiscentia est effectus C. negative, hoc sensu, quod hominem propter peccatum non spoliaverit justitia originali, qua rebellio concupiscentiæ frænabatur, et caro spiritui perfecte subiciebatur N. Audiatur S. Aug. L. 5. cont. Julian. c. 9. n. 36. *Sed dixi inobedientiam carnis... diabólico vulnere contigisse, et rursus, quia dixi hanc legem peccati repugnantem legi mentis, a Deo illatam propter ultionem, et ideo penam esse peccati: hæc inter se asseveras esse contraria. Quasi fieri non possit, ut unum atque idem malum et diaboli iniquitate et Dei æquitate peccantibus ingeratur.*

Ad Prob. 2<sup>am</sup>. N. 2<sup>am</sup>. part. Deus odio habet non tantum peccatum, sed etiam peccatorem, ut constat ex Sap. 14., et concupiscentiam, ut asserit S. Aug. in Ps. 35 n. 6. ad verba illa: *malitiam autem non odivit*; sed diversa ratione: peccatum enim odit propter se, peccatorem propter peccatum, concupiscentiam ut effectum peccati originalis et causam actualis. Odium tamen concupiscentiæ, quod S. Aug. ponit in Deo, non redundat in personam, et hoc sensu TRIN. Sess. 5. dixit, Deum in renatis nihil odisse. Deus enim propter concupiscentiam, quæ in renatis etiam relinquitur non vult renatos damnare, sed potius ejus vim paulatim minuere ac totam denique tollere in iis, quos assumet ad vitam æternam.

Ad Prob. 3<sup>am</sup>. D. M. Christus assimilatus est nobis et tentatus, quatenus assumpsit veram carnem et passibilem C. quatenus assumpsit omnes defectus nostros, qui etiam non sunt peccata N. Sicut nec morbos nec defectus similes, sic nec ignorantiam etiam aut concupiscentiam assumpsit, ut docet S. Aug. L. 2. de pecc. mer. c. 29. n. 48. et L. 5. cont. Jul. c. 15. n. 52.; tum quia hæc postrema repugnabant plenitudini gratiarum et donorum illi debitorum: tum quia ad redemptionem nostram nihil proderant, sed potius per se obesse poterant.

Inst. 4. Nulla est pœna hujus vitæ, quæ ob finem bonum expeti non

possit: sed concupiscentia ob nullum finem recte expeti potest; ergo non est pœna tantum, sed culpa.

R. N. M. Ignorantia et tentationes Satanæ pœna peccati sunt, nec tamen nisi imprudenter et male expeti possunt. Potest quidem pœnas omnes, et concupiscentiam quoque Deus ordinare ad finem bonum, uti relinquendo homini hanc passionem ad agonem et virtutis exercitium in præsentia naturæ conditione fecit; nullas tamen expetendas, sed duntaxat tolerandas docet S. Aug. L. 10. Conf. c. 28. *Porro concupiscentia eadem ratione expeti non debet, non quod peccatum sit, si ei non consentiatur, sed quod ad peccandum inducat, et quod molesta sit et gravis, et ideo non amanda, sed toleranda sit, si debellari nequeat.*

93. Obj. contr. 2<sup>um</sup>. S. Aug. pluribus in locis concupiscentiæ tribuit per se veram rationem peccati. Nam 1<sup>o</sup>. vocat ita malam, ut naturalis homini esse non possit, nec a Deo inseri; ut constat ex L. 4. contra Julian. c. 14. n. 65., L. 5. c. 7. et ult., L. 6. c. 15. n. 48., L. 1. cont. 2. ep. Pelag. c. 16. et 17. etc. 2<sup>o</sup>. Docet concupiscentiam non tantum esse pœnam et causam peccati, sed etiam peccatum, quia, ut ait L. 1. cont. 2. ep. Pelag. c. 13. n. 27., *peccandi delectatione movetur*; et ut L. 5. cont. Jul. c. 3. n. 8. dicit, *inest illi inobedientia contra dominatum mentis.*

R. N. ass. Ad 1<sup>um</sup>. R. Cum S. Aug. non omne malum esse peccatum, cum etiam dæmones, homines nefarii, habitus vitiosi sint mali, nec tamen peccatum, ut ait L. 6. cont. Jul. c. 16. *Omni peccato baptizati carent, sed non omni malo.* Itaque distinguendum est inter malum etiam morale: aliud enim est *formaliter morale*, nempe actio libera moralis difformis legi: aliud *denominative morale*, sive sit principium vel effectus peccati, ut est potentia concupiscendi; sive sit actio difformis legi, sed non libera, uti sunt motus concupiscentiæ involuntarii. Malum morale *secundi generis* tantum intelligi a S. Doctore patet ex ipsis locis citatis; nam in prioribus quidem duobus concupiscentiam malam probat unice ex hoc, quod pugnet adversus continentiam: in posterioribus ex eo, quod ad peccatum impellat, et pudorem naturalem eliciat.

Ad 2<sup>um</sup>. R. D. Docet concupiscentiam non tantum esse pœnam et causam peccati, sed etiam peccatum proprie et formaliter tale N. largo modo et materialiter tale C. Ad peccatum proprie et formaliter dictum requirebat ubique, præsertim L. de vera relig. c. 14.; L. 3. de lib. arb. c. 15. aliquoties jam laudatis, voluntarium et libertatem; unde cum L. 1. oper. imperf. n. 47. distinxisset inter peccatum tantum, et pœnam tantum, et quod est peccatum simul et pœna, cujus postremi exemplum ponit in peccato originali, ostendit, quomodo et hoc aliena voluntate infantibus etiam sit voluntarium. Ad peccatum vero *materialiter* tale, exigebat actionem ex se repugnantem legi, et ne sit pœna tantum, hoc est, quod quis nullo modo agit, sed duntaxat patitur: hinc juxta eundem L. 1. retract. c. 15. actus ignorantis adhuc vocatur peccatum, ubi non est *voluntas peccati*, sed tamen *voluntas facti*: et actus ebrii malus etiam peccatum scilicet materiale dicitur, ubi nec est voluntas facti; quia saltem reipsa punitur ab homine peccati capace, et quoad oppositionem cum lege est peccato formali similis.

Atque hac ratione concilianur hi textus cum aliis supra relatis, quibus

concupiscentia negatur esse peccatum. Confirmatur autem ex ipso locorum objectorum contextu; in 1<sup>o</sup>. enim sic ait: *Et ideo (concupiscentia) jam non sit peccatum, sed hoc vocetur, sive quod peccato facta sit, sive quod peccandi delectatione moveatur.* Ubi et negat concupiscentiam esse peccatum, et sensum exponit, quo possit peccatum intelligi, si vocetur aliqua ratione peccatum. In 2<sup>o</sup>. autem dum ita loquitur: *Concupiscentia carnis et peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis;* ex hac ipsa ratione data ostendit non esse peccatum proprium; quia hujus caro capax non est, sed mens, quæ, donec resistit, per carnis inobedientiam peccare dici nequit.

Porro cur S. AUG. concupiscentiam etiam vocaverit hic peccatum, ratio erat, ut illam ostenderet non esse poenam tantum; quia Julianus ex ejus libris de Nuptiis et Concupiscentia, ubi concupiscentiam dixerat esse bonam, male contra S. Doctorem intulit, esse bonam et laudabilem et expetendam, quod AUGUSTINUS tum de facultate concupiscendi, tum de actu ex dictis negat.

*Inst. 1.* S. AUG. pluribus in locis comparat concupiscentiam cum cæcitate cordis, quam dicit esse peccatum, quò in Deum non creditur, et simul poenam ac causam peccati. 2. Idem dicit, concupiscentiam in non regeneratis imputari in peccatum; sic enim L. 1. de Nupt. et Concup. c. 32. ait: *Hæc itaque remissio peccatorum, quamdiu non fit in prole, sic ibi est lex ista peccati, ut etiam in peccatum imputetur, id est, ut etiam reatus ejus cum illa sit, qui teneat æterni supplicii debitorem.* 3. Idem ait in iisdem concupiscentiam habere reatum, quò homo reus fiat, ut verba ejus L. 6. cont Julian. c. 17. n. 51. ostendunt: *Nos eam (concupiscentiam) malam dicimus, et manere tamen in baptizatis, quamvis reatus ejus, non quo ipsa erat rea (neque enim aliqua persona est) sed quo reum hominem originaliter faciebat, fuerit remissus atque vacuatus.*

R. Ad 1<sup>um</sup>. Comparatio concupiscentiæ a S. AUG. frequentius instituitur cum voluntaria cæcitate seu effossione oculorum, quam cum cæcitate cordis. Quoad primum autem sicut cæcitas in illo casu per se et ratione sui non est peccatum, cum esse cæcum præcise non sit imputabile ad vituperium vel poenam; sic etiam concupiscentia per se et ratione sui peccatum non est: sicut tamen illa cæcitas ratione alterius, nempe voluntariæ effossionis oculorum, peccatum est; sic etiam concupiscentia ratione reatus adjuncti peccatum a S. Doctore dicitur. Quoad secundum idem omnino tenet, ac præterea notandum est, propositum S. AUGUSTINI eo pertinuisse, ut ostenderet, posse id, quod est poena peccati, etiam esse peccatum sive proprie sive largo modo acceptum; quam in rem varia exempla profert, non admodum laborans, an congruant in omnibus, modo similia sint quoad id, de quo agebatur.

Ad 2<sup>um</sup>. et 3<sup>um</sup>. D. Docet concupiscentiam imputari in peccatum et habere reatum ratione sui præcise et per se N. ratione alterius sibi adjuncti C. Nempe concupiscentia imputatur in peccatum ratione reatus, qui in non regeneratis necdum remissus, sed adhuc cum concupiscentia conjunctus est, ut ipsa verba recitata docent: *id est, ut etiam reatus ejus cum illa sit.* Habet autem sibi adjunctum reatum ratione prævaricationis Adami cuilibet homini moraliter propriæ, per quam homines non tantum sortiti sunt concupiscentiam tanquam poenam, sed reatum etiam ac debitum susceperunt ad odium divinum sustinendum, donec hoc peccatum et reatus baptismo deleatur. Porro reatus concupiscentiæ triplici modo intelligi potest.

1<sup>um</sup>. Est, quo reatus sumitur tanquam causa concupiscentiæ, et est is, quo ipsa facta est, non quam ipsa fecit; quomodo si quis sibi eruit oculos, dicitur esse reus effossionis oculorum, non quod habere erutos oculos sit peccatum vel reum faciat, sed quod eruere sibi oculos peccatum sit et reatum faciat. Atque hac ratione a S. AUG. L. 2. cont. Jul. c. 9. n. 32. explicatur: *Quamvis jam non eo modo appelletur peccatum, quo facit reum; sed quod sit reatu primi hominis factum, et quod rebellando nos trahere nititur ad reatum.*

2<sup>um</sup>. Est, quo reatus sumitur tanquam effectus concupiscentiæ, seu is, quem ipsa facit, si ad consensum pertrahat, ita ut homo non sit proprie reus, quia concupiscentiam habet, sed quia concupiscentiæ cedit. Huc pertinet, quod ibid. c. 5. n. 12. S. AUG. dicit: *An nondum fateberis, quod reatus eorum perierit, infirmitas manserit; non reatus quo ipsa (vitia) rea fuerant, sed quo nos reos fecerant in malis operibus, quo nos traxerant?* His enim verbis ostendit, vitia, cum quibus nascimur, remitti in baptismo, quia reatus malorum operum, quæ concupiscentiæ assentiendo fecimus, remittitur, licet infirmitas, hoc est, concupiscentia remaneat.

3<sup>um</sup>. Est, quo ipse concupiscentiæ reatus formaliter sumitur, seu is, qui idem sit cum concupiscentia, aut saltem ab ipsa oriatur et in ipsa fundetur, ita ut reus sit ipsam habens, quia ipsam habet; sicut reatus furti dicitur is, quo proprie reus dicitur, qui furtum fecit. Hac vero ratione concupiscentiæ reatum dari, aut a S. AUG. asseri negamus.

*Inst. 2.* Docet S. AUG. concupiscentiam remitti per baptismum; sic enim L. 1. de Nupt. et Conc. c. 23. n. 25. ait: *Hæc concupiscentia, quæ solo sacramento regenerationis expiatur, profecto peccati vinculum generatione trajicit in posteros, nisi ab illo et ipsi regeneratione solvantur;* ergo ipsa concupiscentia debet esse peccatum etiam formale.

R. D. A. Docet per baptismum remitti concupiscentiam per condonationem reatus, quo ipsa facta est, et sine quo esse potest C. per condonationem reatus, qui sit ipsa concupiscentia, aut qui ex ipsa oriatur, vel in ipsa fundetur N. Juxta S. AUG. concupiscentia et peccatum Adæ moraliter nostrum faciunt unum quoddam totum, quo homo maculatur, et vituperio, odio Dei ac poena æterna dignus redditur. In eo materiale est concupiscentia, quæ per se et ratione sui est duntaxat malum, languor, infirmitas, impulsio ad peccatum: formale autem est reatus, non tantum poenæ, sed culpæ, ut mox dicemus, et sic peccatum Adæ moraliter nostrum moraliter perseverans. Totum hoc dicitur manere, et hinc concupiscentia vocatur peccatum, quamdiu non remittitur peccatum Adæ moraliter nostrum; quia hac culpa remanente concupiscentia imputatur a Deo ad vituperium, odium et poenam, cum per illam moraliter constituatur in esse peccati. Culpa autem seu peccato Adæ moraliter nostro per baptismum remisso, concupiscentia jam solam rationem mali, languoris et infirmitatis habet, non autem peccati; quia per factam culpæ remissionem sublata est imputabilitas ad vituperium, odium et poenam.

*Inst. 3.* Id. ibid. c. 26. comparat reatum concupiscentiæ cum reatu adulterii: *In eis, inquit, qui regenerantur in Christo, cum remissionem accipiant prorsus omnium peccatorum, utique necesse est ut reatus etiam hujus licet adhuc manentis concupiscentiæ remittatur... sicut eorum peccatorum quæ*

manere non possunt, quoniam cum fiunt prætereunt, reatus tamen manet, et nisi remittatur, in æternum manebit... Nam si quisquam v. g. fecerit adulterium, etiamsi nunquam deinceps faciat, reus est adulterii, donec reatus ipsius indulgentia remittatur. Sed reatus adulterii est reatus, quo ipsum adulterium hominem facit reum; ergo.

R. D. M. Comparat reatum concupiscentiæ cum reatu adulterii quoad omnia N. quoad aliqua C. In eo autem stat *paritas*, quod sicut separatur reatus adulterii ab adulterio, sic a concupiscentia ejus reatus separatur. Sicut autem distinguit rationem *adulterii* a ratione *concupiscentiæ*, dum loco cit. c. 7. et 8. concupiscentiam dicit esse similem manenti qualitati et habi-  
tui, dissimilem vero adulterio, sacrilegio et actui: sic etiam reatum utrumque ex proxime dictis multum discernit.

Inst. 4. Concupiscentia hoc ipso, quod homini inest, constituit illum reum, ut patet ex S. Aug. L. de pecc. orig. c. 39. *Obsesset ista carnis concupiscentia, etiam tantummodo quod inesset, nisi peccatorum remissio sic prodesset... Manet quippe in prole, ita ut reatum faciat originale vitium; ergo concupiscentia per se et ratione sui est peccatum formale.*

R. D. A. Concupiscentia nude sumpta hoc ipso, quod homini inest, constituit illum reum N. sumpta cum reatu culpæ, seu totum illud, quod juxta S. Aug. constituit peccatum originale integre et adæquate sumptum C. Atque de hac concupiscentia intelligendus est S. Doctor, dum concupiscentiam vocat *tale ac tam magnum malum*.

Sensus autem posterioris textus est, ut ex integri loci lectione elucescit, concupiscentiam eo ipso, quod inest, obfuturam et parentibus et infantibus, nisi renascantur per gratiam in baptismo acceptam. *Parentibus* quidem, quia, quamvis per baptismum non desinat concupiscentia, nec nisi, quando hæc vita cum immortalitate commutabitur, desitura sit; tamen per baptismum obtinentur auxilia illi annexa, quibus resistere valemus concupiscentiæ motibus ad peccandum sollicitantibus: *Infantibus* vero, etiamsi ex parentibus renatis nascantur; quia hoc non obstante in prole manet concupiscentia et simul reatus culpæ originalis per originis vitium inductus.

QUÆRES: Quid reatus nomine intelligat S. Augustinus, cum originale peccatum asserit reatum concupiscentiæ?

94. R. Intelligit ipsum *peccatum habituale*, quo homo maculatus manet, et reus non tantum pœnæ, sed peccati est: sive non intelligit solum reatum pœnæ seu obligationem ad pœnam subeundam, sed reatum culpæ seu obligationem ad odium Dei sustinendum.

Constat 1º. Ex L. 1. de Nupt. et Conc. c. 26. ubi cum remanentis concupiscentiæ reatum ablatum esse dixisset, adjicit: *Hoc est enim non habere peccatum, reum non esse peccati*. Quod confirmatur ex eo, quo ibidem pergens utitur, exemplo, ut probet concupiscentiæ reatum auferri: *Nam, inquit, si quisquam verbi gratia fecerit adulterium, etiamsi nunquam deinceps faciat, reus est adulterii, donec reatus ipsius indulgentia remittatur. Habet ergo peccatum, quamvis illud, quod amisit, jam non sit, quia cum tempore, quo factum est, præterit*. Hic non de reatu pœnæ, sed culpæ sermonem esse, ipsa verba luculente clamant.

2º. Ex L. 1. Retract. c. 15. n. 2. *Quasi vero peccatum quod eos ex Adam dicimus originaliter trahere, id est, reatu ejus implicatos, et ob hoc pœnæ obnoxios detineri, usquam esse potuit nisi in voluntate, qua voluntate commissum est, quando divini præcepti est facta transgressio*. His verbis reatus culpæ a reatu pœnæ evidentissime distinguitur, ita ut prior posterioris radix dicatur: *Reatu peccati implicatos, et ob hoc pœnæ obnoxios*. Quod contra hoc asseritum difficultatem facere posset, testimonium S. Aug. L. 6. contr. Julian. c. 19., relatum jam et explicatum est num. 93.

## ARTICULUS II.

## QUOMODO IN ADAMO PECCAVERINT EJUS POSTERI?

95. *Nota I.* Triplex circa hanc quæstionem sententia habetur. 1ª. Est eorum, qui in posteris Adami admittunt *voluntatem interpretativam*, vi cuius hi censentur vel censi possunt causam suam sive ad bonum sive ad malum agendam Adamo commisisse; sic, ut si tunc extitissent, omnes in Adamum fuissent compromissuri, aut, ut Adamus, legem divinam transgressuri.

2ª. Est communior *Recentiorum*, qui volunt posterorum voluntates moraliter fuisse translatas in voluntatem Adami per *pactum* initum, quatenus Deus Adamum caput posterorum morale instituit, ita, ut velut omnium nomine præceptum Dei servaret vel pro libitu violaret, et eo quidem in justitia et obedientia persistente, ejus posterii gratiam et justitiam originalem obtinerent, eo autem peccante, posterii peccato inficerentur, fierentque inimici ac invidi Deo.

3ª. Est *Jansenii* L. 1. de statu nat. c. 6. et 24. aliorumque, qui negant quodcumque pactum, quo Adamus tanquam caput morale posterorum sit constitutus, voluntque posteros in Adamo præcise tanquam *capite* eorum *naturali* peccasse, in quantum nempe hi omnes seminaliter, ut aiunt, contenti sunt in Adamo.

96. *Nota II.* Patroni secundæ sententiæ inter pactum formale et virtuale distinguunt. *Formale* in hoc casu dicitur conventio expressa de voluntate et fortuna posterorum in voluntatem proto-parentis transferenda Deum inter et Adamum ex libero utriusque consensu inita. Quamvis vero in Scripturis sæpe mentio fiat de pactis a Deo cum homine initis, nullaque in ejusmodi peccato formali inconvenientia relucent, facile tamen concedunt sufficisse virtuale. Dicitur autem hic pactum *virtuale* esse ordinatio divina, qua Deus efficaciter decrevit, ut Adamus, in ordine ad observationem vel violationem mandati de non comedendo fructu, tanquam caput morale repræsenteret posteros, ea ratione, ut quod ipse faceret, censerentur etiam moraliter et imputabiliter ad culpam vel meritum fecisse posterii.

De eodem porro observant, non quidem absolute fuisse necessarium, ut hæc Dei constitutio Adamo innotesceret; cum Adamus potuerit esse persona publica et omnium voluntates in se quodammodo collatas tenere, licet ipse id nesciverit; sicut *Respublica* potest jus suum conferre in aliquem et velle ratum esse, quod is statuerit, et bini exercitus duorum armis a se delectorum de summa rei decernere, quamvis hi ignorent se hac conditione decer-